



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

§. 4. De certis casibus, quibus ad orandum homo obligatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

Angelo satanæ S. Paulum colaphizante evenisse legimus.

18.
Quid de
sensibili
iudicaret
Franc. de
Sales.

B. Franciscus de Sales has sensibiles devotiones vento matutino, quem vapores excitant, & cui non fidunt nautæ, quia continuo se remittit, & concidit, comparare solebat: Non in illis verus fervor, sed in charitatis affectu consistit: neque enim secundum Theologos aliud est iste inter operandum fervor, quàm charitatis ardor, quo aliquis non solum in rebus, ad quas sub peccato obligatur; sed etiam in aliis, quæ si negligantur nullam peccati labeculam secum trahunt, Dei solius amore se exercet: ut enim tum bulliri aquâ dicimus, cum se dilatat, ita tum charitas fervere censenda est, cum ad opera, quæ supererogationis appellant, se extendit.

Cæterum seu ferveas, seu ad instar glaciei te sentias; nec oratio tibi sapiat: ne propterea ab orando desiste. Qui ob humores è cerebro defluentes ciborum saporem non percipiunt, non ideo ab edendo abstinent, sed vires cibi virtute reficiunt, etsi ejus gustu minimè recreentur: idem emolumentum ab oratione aridâ & inspidâ, sed constante & perseverante recipies.

§. 4.

De certis casibus, quibus ad orandum homo obligatur.

IN gravi ad peccatum tentatione hominem ad subsidium à Deo postulandum obligari insinuare videtur S. Thomas: agens enim de quibusdam, qui se à tentationis magnitudine superatos in pœnitentiæ tribunali accusant; dicuntque se jejunasse, pugnasse, orasse, & nihilominus sufficienti auxilio destitutos in peccatum consensisse; graviter illos redarguit, quod lapsum in tentationis importunitatem, & cœlestis subsidij defectum rejiciant, cum suam potius in evitandis occasionibus negligentiam, & in auxilio petendo inconstantiam, & teporem agnoscere illos oporteret: Deum enim mendacem faciunt, qui dixit: *Clamabunt ad me, & ego exaudiam eos. & Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. & Petite & accipietis.* & S. Paulus: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventam, ut possitis sustinere.* unde infert tales non exaudiri, quia tepidè, & sine fiducia ac hæsitantes petunt, neque secum, ut oportet, pugnant,

Opusc. 64.

19.

Ad orationem obligatur homo in gravi tentatione.

Psal. 9.

Math. 11.

1. Cor. 10.

O o o o 2

pugnant, ac in petendo auxilio non satis constanter perseverant; ad Deum cum præsumptione recurrunt, quasi ad primam petitionem exaudiri mereantur, superbiaque sua Deum contra se irritant, ut ab eo potius deserendi, quàm juvandi videantur: lapsus ergo ad eorum superbiam & negligentiam est referendus, de qua potius accusare se, quàm de Deo conqueri deberent. Ita sanctus Thomas, qui inter alia tardum ad orationem recursum condemnat.

20.
Qua si vincitur, sibi adscribat.

L. de Eccl. dogm. c. 6.

L. de nat. & gratia.

Egemus enim ad ea, quæ salutis nostræ sunt, rectè procuranda, ut monet S. Augustinus, divinis auxiliis, quæ non aliter quàm orando, obtinere possumus. Qui proinde alibi nos excitat, ad id, quod possumus, exequendum; & ad auxilium pro iis, quæ non possumus, flagitandum. Unde officio suo deesse censendus est, qui in similibus ad orationem animum non applicat. Quis enim negare audeat, hominem demonis impulsu jam in præcipitio lapsus proximi constitutum, si continuo opem de cælo non impleret, peccare graviter, & aut præsumptionis, quæ viribus suis nimium fudit, aut socordiæ, quæ ad Deum præsentem, & ad juvandum paratissimum non accurrit, labem contrahere? Similem ad orandum negligentiam cum aliis Doctoribus

gravis peccati damnat Suarez, Christusque ipse ad illam excutiendam, & ardentem, perseveranterque cælesti subsidium implorandum nos exemplo Amici pauperis tres panes postulantis, & Chananæ pro filia supplicantis hortatur Christus, qui sibi in perseverantia orationis, à qua vinci se patitur, multum placet. Ne ergo aut tædio, aut dissidentiâ, aut impatientiâ ab orando desiste, dabit Deus, quod petis, vel aliquid melius, ut ait S. Bernardus, perseverantiamque tuam duplici merito, fructuque coronabit.

§. 5.

De laude Dei.

Hortatur nos Psalmus, inquit Psal. 134. 21. Laudamus te Domine. Augustinus, hortatur nos Propheta, hortatur nos Spiritus Dei, hortatur nos ipse Dominus, ut laudemus Dominum. Quid justius? quid dignius? quid gratius? laudate servum Dominum, ut esse mereamini & filij. Si cogereis offerre taurum, aut hircum, aut arietem dignum Domino, & non inveniens fatageres, diceret Deo: Volui, & non habui: si linguam non haberes, & verba à te quæreret Deus, diceret etiam forte: Laudare non possum, quia linguam careo. Nunc verò, quia

cor